

eum post aliquot dies circumcisionis dolori subicitur, deinde in exilium agitur, quia Herodes eum interfici innocentem jubet. Quid non tulit tot pueritiæ annis in exilio peractis, sive ex parentum paupertate, sive ex hominum malitia? Redux in patriam ad trigesimum usque annum humilem ducit vitam, obscuram, laboriosam, subditus Mariæ et Joseph, ut vilis operarius, ignobilis et despectus. Nihil de publica vita dicam, nihil de passione et de turpissima ac dolorosissima ejus morte. Etenim videbantur in dies paupertas, opprobria et dolores ad mortem usque succrescere, multiplicari et graviora fieri. « Vulpes, inquit, foveam habent, et volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet (1). » Ut nutriatur cum suis eleemosynas sponte oblatas recipit; sæpe famem, sitim, defatigationem sustinet; injuriis ubique et undique pessumdatur, quamvis « pertransiret benefaciendo et sanando omnes. » Hinc « saturatus opprobriis, factus vermis et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis (2), injustissima sententia, infami et dolentissimæ morti traditur, postquam omnium judicum voce innocens manifeste fuerat declaratus.

3. *Et ex libera sua voluntate.* — Nec putandum hæc, ipso invito, tulisse: quis enim

(1) Matth. viii, 20.

(2) Psalm. xx, 7.

aliquid in eum posset? « Ego pono, inquit, animam meam. Nemo tollit eam a me (1). » Ipsi, si vellet, se a quacumque infirmitate et adversitate subtrahere licuit, ut sæpe egit ad mortem raptus, cum non adhuc venerat hora ejus. Etiam in horto cum esset, multa turba ac militibus circumdatus, jam jam passionis stadium ingressurus, in manu habuit ludibria et mortem, si voluisset, effugere: « An putas, inquit, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones angelorum (2)? » Sed implendæ erant Scripturæ, voluntas Dei Patris implenda, quam ipse sponte ab initio faciendam censuit.

4. *Ut nobis indicaret quid sit agendum.*

— In his autem sponte latis, unicus non fuit finis peccatorum expiatio, sed etiam nostrum exemplum, ut sciremus hoc ipsum a nobis hominum Redemptorem sacrificium expetere, id velle ut nos etiam victimæ simus atque constanter cruci affixi immolemur. Quid enim docuit nisi hoc in sublimi illo Beatitudinum sermone, in quo brevibus christianam et sanctam suorum fidelium vitam descripsit? Beatos vocat pauperes spiritu, eos qui lugent, quique persecutionem patiuntur propter justitiam (3). Quid voluit, cum homines ad se, ut sequerentur, invita-

(1) Joan. x, 17.

(2) Matth. xxvi, 53.

(3) Matth. v.

vit, nisi hoc ipsum? « Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me (1). » Hæc sæpe discipulis suis commendavit, quibus clare quæ ferenda ipsis essent prædixit: « Amen amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini... In mundo pressuram habebitis... In patientia vestra possidebitis animas vestras (2). »

5. *Quod optime apostoli intellexerunt.*
— Neque aliter discipuli Christi hanc ejus doctrinam intellexerunt, quia arbitrati sunt bonorum terrestrium sacrificium, honoris ac proprii corporis ab eis esse ferendum: quare nihil potius habuerunt, nihil gloriosius quam pro Christo adversa pati, injuriis et doloribus affici, expoliari omnibus bonis, in exilium agi. « Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati (3). » Paulus vero tribulationibus concussus quasi triumphum agebat: « Mihi autem absit gloriari, inquit, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est et ego mundo (4). » Nihil aliud putabat ipsi esse prædicandum nisi Jesum Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam; ipsis autem

(1) Matth. xvi, 24.

(2) Joan. xvi, Luc. xxi.

(3) Act. Apost. v, 41.

(4) Ad Gal. v, 14.

vocatis Judæis ac Græcis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam (1). Hanc ipsam doctrinam repetitis sermonibus primis Christi fidelibus insinuabat, ut omnes scirent nullam futuram remunerationem in cælo nisi iis qui crucem Domini ferunt: « Heredes enim, inquit, sumus Dei, coheredes autem Christi: si tamen compatimur ut et conglorificemur (2): » sors enim eorum qui pie volunt vivere in Christo Jesu hæc est, ut persecutionem et opprobria sustineant (3); quia si oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam (4), putandum ne est homines criminosos ab hac obligatione eximi, quasi per sese peccatorum debitum illum solvere non debeant?

6. *Hujus sacrificii offerendi necessitas.*
— Ceterum hæc intima apostolorum persuasio inde originem ducit, quod nos unum corpus in Christo esse arbitrarentur, qui omnium est mysticum caput. Jam Christus non modo sui physici corporis sacrificium Patri offerre debuit, sed et totius corporis mystici, ut omnia ad eum traheret communicationis gratia et participationis eorum quæ ipse passus est, quæque perficere corpus mysticum debent. Cum autem ipse in se atque in sua physica humanitate plenissime huic holocausto satisfecerit, restat ut in suis

(1) I. ad Cor. i, 23.

(2) Ad Rom. vii, 17.

(3) II ad Tim. iii, 12.

(4) Luc. xxiv, 26.

mysticis membris compleatur. Ideo Apostolus ait: « Nunc gaudeo in passionibus pro vobis et adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea, *pro corpore ejus*, quod est Ecclesia (1). » Hæc sane nobis etiam dicta sunt et omnibus qui pie volunt vivere in Christo Jesu: si enim membra Christi sumus, ex ejus passione fructus, per nostras ipsas passiones colligere debemus, ut in omnibus similes Christo simus eique intime vivamus (2).

7. *Qua ratione practice offeratur.* — Quod ut recte fiat, atque, ut christianum deceat, dolores, cruciatus, bonorum expoliationes, ignominias, cujuscumque generis angores feramus, hæc practice agenda:

1° Recta animi intentione hæc Christi passionibus uniamus, adeo ut nonnisi nostras ejus faciendæ voluntates feramus, et ut similes ei simus qui prædestinatorum caput est, sicuti nos membra ejus.

2° Ideoque quidquid nobis ad patiendum immissum fuerit, sive id physicum sit vel malum morale, sive naturale, sive supernaturale, sive internum, sive externum, nonnisi Deum auctorem recognoscamus et Christum, qui vult ut talia patiamur.

3° Patienter et sine ulla obmurmuratione quidquid naturæ ingratum est sustineamus,

(1) Ad Coloss. i, 24.

(2) Aug. in Psalm. LXXXVI.

idque ad nostra totiusque mundi peccata expianda, ad augmentum et perfectionem corporis Christi, quod est Ecclesia, denique ut major obveniat Deo gloria ex humanæ naturæ subjectione, passionum ope et dolorum.

4° Strenue et lætitia etiam effusi mala omnia feramus; oculos nostros in Cor Jesu doloribus cruciatum conjicientes et in omnes ejus angores ab hominibus vel a dæmonibus latos; contemplantesque qui sit ipse qui talia tulit, quid et quam magna sustinuit, quomodo scilicet, qua patientia passus, cujus causa, nempe pro nobis et pro nostris multiplicibus erratis.

Hæc si perspecta habeamus, integrum et Deo gratum nostrum sacrificium erit, non quidem pro uno horæ momento, sed ad mortem usque, eo quod non licet homini Deo devoto ex temporis spatio mala perpendere ac animo frangi, cum Christus ejus dux et caput, in his ferendis, nonnisi Patris voluntatem præ oculis habuerit, ad quam exequendam non certe triginta tribus ferme annis, sed ad finem usque mundi, si opus fuisset, omnia mala tulisset.

V.

*De via unitiva
quæ vitam interiorem in Christo perficit.*

1. *Præambulum.* — Ad vitam interiorem in Christo perficiendam restat, ut de via unitiva pauca dicamus: at sicut in ceteris ita et in hoc Christum ipsum ducem sequemur, quem Pater ipse magistrum et exemplar dedit, ut simus perfecti sicut et Pater cœlestis perfectus est. Quomodo Christus Jesus intime in vita sua atque interius Patri unitus vixit? Quamvis enim variis laboribus et occupationibus distineretur, sive humanis et naturalibus, sive apostolicis et divinis, nunquam tamen humanitate sua, suoque corde et animo conjunctus Deo vivere destitit. Nam virtutum exercitium et quæ in spirituali vita agere tenemur, hunc unicum unionis cum Deo scopum habent, in qua vera humana perfectio consistit, quæ præparatio quædam est ad omnibus numeris absolutam illam beatam perfectionem, qua Deus nos in cœlis donabit.

2. *De quatuor gradibus unionis Christi cum Patre.* — Dum Christus in terris nobiscum degeret, his quatuor ejus unio cum Patre contineri videtur: 1° *præsentia* et *contemplatione*, 2° *oratione* continua et *supplicatione*, 3° *sacrificio* de se oblato et

de suo mystico corpore, 4° absoluta suæ *voluntatis conformitate* cum Patris voluntate; ex quibus maxima et perfecta unio, quæ est in *charitate*, certissime effluit. Hæc unionis species veluti quidam gradus videntur, per quos ad perfectam amicitiam et benevolentiam charitatem ascendatur: quare necesse est ut attente et diligenter eas in Christi vita consideremus.

3. *De unione præsentia et contemplationis.* — Specialis et perfectissima fuit hæc cum Patre suo unio in Christo Jesu: cum enim humanitas hypostatice divinitati uniretur, fieri non potuit ut ejus anima jugiter Deum et intuitive non contemplaretur, qui eam totam pervadebat, ut una esset persona cum Verbo divino et per ipsum Verbum. Quapropter quidquid Christus exterius vel interius ageret, quamvis non paucis humanis creatisque rebus occupari videretur, etiamque cum sopor humana membra teneret; nunquam ejus spiritus a Verbi divinitatis clara et distincta visione deflexit, nec unquam ejus constantem præsentiam amisit. In hoc superno intuitu superiores ejus facultates deliciis affuebant, quæ in sereno et tranquillo corporis vultu aliquantulum sese promebant; utut tristitia, pavor, tædium aliæque inferioris partis affectiones hanc divinam tranquillitatem obnubilare quandoque conarentur.

4. *De unione orationis et supplicationis*

— Ad hæc: oratio Christi et vehemens supplicatio assiduæ erant et continuæ, non quidem pro se ipso, qui aliquo non indigebat, nisi ut sua humanitas plene subiecta Patri rogaret, ut omnia in ejus supremam gloriam cederent. Ideo Christus hac assidua prece humanitatem suam divinitati inferiorem, adorationis cultu et laudis sacrificio, subiciebat, recte recognoscens nihil eam a se esse, omnia a Patre suo habere in multiplicibus donis munifico et erga eam liberalissimo. Sed præcipue in hominum bonum hæc Christi oratio intendebat, atque omnium nostrarum orationum ac supplicationum defectibus supplebat, ut deinceps Deus Pater Filii sui gratia hominum preces exaudiret: quare Salvator noster magna fiducia et securitate agebat: « Quidquid petieritis Patrem in nomine meo dabitur vobis. » Profecto hæc continua Christi oratio non semper vocalis fuit, quamvis legamus non raro eum in nostrum exemplum voce orasse: nec semper ita fiebat, ut ab hominum consortio ad orandum separaretur, quamvis et hoc iterum atque iterum, ut nos doceret, effecit; sed simplex fuit mentis et cordis ad Deum Patrem elevatio, qua uno affectus motu omnia petebat, quæ ad nostram salutem necessaria erant, quin tamen, ut sic oraret, alia exteriora vel interiora negligeret.

5. *De unione sacrificii oblatis.* — Nec minus constans, assiduus ac vehemens fuit actus, quo Christus se ipsum victimam et sacrificium Patri suo offerebat, suumque corpus mysticum, quod essentialiter et præcipue e suis electis et justis conflatur. Nec tantum ea quæ ab ipso unoquoque vitæ suæ instanti ferebantur, Patri offerebat; sed et de omnibus quæ ad extremum usque suspirium ferenda erant, oblationem continuam et gratissimam faciebat, tum ut immensa Deo gloria esset, tum ut humanum genus ipsi reconciliaretur, tum denique ut omnes gratiæ, benedictiones et cœlestes favores in homines abundantissime effunderentur. Porro una cum suo speciali et principali holocausto, omnium justorum et Ecclesiæ suæ, ad finem usque mundi sacrificia, victimas et oblationes Christus offerebat; quidquid futurum erat ut homines pro suo nomine et propter justitiam, vel ad eorum probationem, sic permittente Deo, paterentur. Hæc omnia sui corporis mystici sacrificia suo Dominus Jesus adiciebat, ut Deo grata essent atque in justorum bonum æque ac suum ipsum sacrificium acceptaret; nullum enim est vel esse potest Deo gratum holocaustum, quod sine Christi sacrificio ipsi offertur. Denique notandum hic est perenne Christi sacrificium universale fuisse, quatenus Patri suo unamquamque suam facultatem et vim

sive animæ sive corporis traderet, sponte acceptans et patientissime tolerans quidquid ignominiarum, paupertatis, dolorum vel angustiarum libera sua voluntate in ipsas immitteret: « factus enim est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis » quasi non amplius sui compos esset, sed victima Patri devota, ejus gloriæ et hominum bono.

C. De unionem conformitatis voluntatis — Denique unionem Christi cum Patre voluntatis conformitas perficiebat adeo absoluta, ut nihil cogitaret, vellet, ageret nisi quod Pater de ipso disponderet: « Quæ placita sunt ei, inquit, facio semper, » non quæ naturæ vel libero arbitrio placerent; unde cum aliquando ad satisfaciendum infirmæ humanæ naturæ Patrem rogavit, non id absolute egit, sed expressa conditione adjecta: « si possibile est.... verum tamen non mea sed tua voluntas fiat. » Et tamen libera ei omnia relicta fuerant, ut quidquid vellet et suo lubitu ageret, quia Deus erat æqualis Patri. Ut vero plenam hanc et omnibus numeris absolutam voluntatis unionem cum Patre haberet, debuit sane Christus omnibus et sibi ipsi renuntiare, ut et terrestria despiceret et suam humanitatem integra dependentia Patri subiceret. Inde illimitata fiducia quam erga Patrem suum animo fovebat, ut ei omnia sua traderet, quamvis sciret multa ignominiosissima et dolorosissima

futura quæ pateretur. Itaque hujusmodi dependentia non *affectiva* tantum sed *effectiva* fuit in omnibus suæ vitæ actibus, quos verbo illo complevit: « Consummatum est; » scilicet omnia feci quæ Pater de me facienda disposuit, nihil restat nisi ut moriar, sicut ipse decrevit, et hoc statim faciam; quibus dictis, « inclinato capite, tradidit spiritum » libera etiam dependentia et subjectione hunc extremum actum eliciens, quod, ut supra notavimus, nemo poterat, ipso invito, animam ejus a corpore sejungere.

7. *Quomodo nos primum unionis gradum attingemus?* Hæc fuit Christi vita unitiva cum Patre suo, ad cujus exemplar nostra effingi debet. Non sane fieri potest, ut nostra adamussim in omnibus cum ipsa componatur, infirmæ enim nostræ naturæ hoc vacuum non est, sed tamen, gratia Dei opitulante, licet nobis intra limites nostrarum virium eam persequi. Profecto, dum in hac terra versamur, intuitiva Dei visione frui datum non est: sed est nobis fidei intuitus, per quem licet Deum præsentem, non modo in creatis rebus omnibus quæ circumstant, sed in nobis ipsis, maxime in corde nostro conspiciere, quod in justorum animabus sedes Dei est. Commoratur enim Deus in nobis ut naturæ et gratiæ auctor, suoque spiritu in mentes et corda nostra agit, quæ sibi copulat, ut cum eo et per eum vi-

vamus. Cur aliunde Deum quaerimus, dum nobiscum est? cur ad eum alibi mentem et cor erigimus, quasi longe sit ab unoquoque nostrum, dum introrsum in animo nostro cum eo colloqui licet? Hoc exercitio praesentiae Dei, quod sanctorum proprium fuit, vita nostra interior et intimior erit cum Deo et in Christo, qui ita in se ipso Patrem suum adorabat et contemplabatur. Hic fuit S. Teresiae et S. Catharinae Senensis mos, quas Christus ipse id agendum docuit; hoc S. Franciscus Salesius suadebat, ut medium efficacissimum ad perfectionem et vitam unionis cum Deo acquirendam.

8. *Quomodo secundum gradum sectabimur?* — Nec tanta continuitate et assiduitate, ac Christus egit, mentem et cor ad Deum erigere possumus, ut oremus: sed nonne Christus ipse et Spiritus sanctus jugiter in nobis et pro nobis « orant gemitibus inenarrabilibus » atque pro totius mundi necessitatibus et ingruentibus malis? Preces nostras cum prece Christi et Spiritus sancti jungamus, solo mentis et cordis intuitu, hanc interdiu intentionem renovemus. Porro meminerimus quidquid boni operis agimus, non modo rationem meriti et expiationis, sed etiam orationis ad impetrandum habere, unde proverbium illud « studere est orare. » Igitur nostras omnes actiones ita dirigamus et efficiamus, ut continuæ sint preces pre-

cibus Christi et Spiritus sancti conjunctæ. Nec tantum oremus ut solum necessitates nostras Deo expromamus, verum et totius Ecclesiae, fidelium omnium et infidelium, hæreticorum, schismaticorum et peccatorum: hoc enim est orare cum Christo et in nomine ejus. Ita sane oratio nostra efficacior erit, nostraque cum Deo familiaritas in dies succrescet.

9. *Quomodo ad tertium gradum elevabimur?* — Christus singulos sui sacrificii actus, sive praesentes sive futuros, clare et distinctim noverat, eosque quasi victima Deo devota offerebat. Sed quamvis omnia, quæ ferenda sunt, nota nobis non sint, nonne cognoscimus quæ actu ferimus? et in genere nonne alia futura mala prævidemus? Noscimus autem hanc esse Dei voluntatem, ut crucem nostram tollamus et sequamur Christum; ex altera parte non ignoramus Deum patrem nostrum esse, nihilque nobis mali accidere posse, nisi ipse velit aut permittat et in bonum nostrum cedat. Quidni igitur liceat, habituali quodam actu, quem interdum renovemus, nos paratos Deo offerre quasi victimas ad omnia toleranda? Quidni liceat sincero et æquo animo ferre, quæ actu nos premunt, idque sicuti membra Christi capitis nostri, iisdemque voluntatibus atque animi æquitate et constantia? Semper paratos nos esse convenit ad om-

nia ferenda, quia « qui pie volunt vivere in Christo Jesu persecutionem patientur. » Offeramus constanter Deo naturæ nostræ infirmitates et defectus, corporis ægritudines, animi tristitiam et angores, externos inter nosque dolores, bonorum expoliationem, exilium, carceres, martyrium, mortem, si ita divinæ majestati placuerit his adversitatibus nos munerare. Interdum parvas offeramus adversitates, infelicem nostrorum incæptorum exitum, hominum ingratitude, morbos corporis, cœli et aeris inclementiam, naturæ repugnantiam in multis et infinita alia, quæ nos quotidie cruciant et quasi acu constanter perfodiunt, ut durissimum ex temporis longitudine martyrium feramus.

10. *Quomodo quarto gradu perficiemur?*

— At nostræ voluntatis cum divina conformitas desideratam unionem in Christo cum Deo potissimum præstabit. Cum sæpe de hac virtute egerimus, necesse sane non est ut longiori sermone de ea loquamur. Nonne nobis potius quam Christo convenit, ut voluntatem nostram in omnibus Dei voluntati conformemus? Ceterum si vere in vita unionis cum Christo perfici volumus, sciamus nonnisi hac virtute fieri posse, ex qua charitas divina ardentissima oritur. Interrogemus ergo sæpe animum nostrum, ut videamus quid Deus, quid Christus a nobis

expetat, ut invita etiam natura, et contra ejus gemitus et obmurmurationes perfecte exequamur. At sicut Christus, ut plene voluntatem suam Patris voluntati conformaret duo media adhibuit, quorum unum recognoscendi nihilum naturæ suæ humanæ, omniumque conditarum rerum; alterum contemplandi infinitam Dei independentiam et majestatem, ejusque attributa divina; ita oportet ut imprimis quidquid amoris erga nos ipsos in nobis est penitus destruamus, idque consideratione nullitatis naturæ nostræ, quæ proinde nonnisi despectum meretur; maxime quod, quum impotens et misera esset, toties tamen rebellis contra suam existentiam et vitæ Auctorem fuerit; deinde intima ac profunda majestatis divinæ cognitione, quæ efficit ut hæc terrestria præ Deo flocci faciamus, pedibusque conteramus, quia vere nihil sunt si Deo comparentur. Hac agendi ratione magnam nostri viriumque humanarum diffidentiam concipiemus, ut totam fiduciam nostram in Deo uno reponamus, a quo vera bona expectari tandem possunt, et a quo plena animi subjectione agendi et ferendi regulam recipiemus.

Hæc sunt vitæ interioris in Christo principia, quæ nobis suæ gratiæ cooperantibus, idem ipse evolvit, ut cœlesti lumine ducti quid faciendum sit intelligamus.